



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XII. Christi amore Crvx ferenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT XII.

Christi amore CRVX ferenda.

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Cant. 2, 16.

*Non pœnas fugio, nec pro CRVCE præmia
posco,
Sat mihi Dilecto posse placere meo.*



BAT hoc modo exultans & gaudens Staurophila, magnaq; animi voluptate semitam spei percurrebat, nec longè iam aberat à viâ charitatis; de quâ Christus ita loqui incepit: Excellentiorem etiam VIAM tibi demonstrabo, filia charissima. Timore aut præmio ad CRVCIS amplexum adduci bonum quidem, sed utroque melius amore ferri; hoc siquidem filiorum est, quorum tota voluntas Patri in omnibus placere: priora ista seruatorum aut mercenariorum sunt.

Primum igitur hoc mente sedeat, Patrem esse qui CRVCEM imposuit: ambula proinde confidenter, & certa esto, quod te noluerit pati, non patieris: quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis.

O 2

Hic

August:
Tract. 7. in
Ioannem.

Hic Staurophila: Labia tua, clementissime Domine, velut lilia distillantia myrrham primam. Patrem enim te mihi deprecas, sed corripientem, flagellantem & excruciantem, quæ parum amoris, seueritatis autem habent plurimum. Ego verò te credidi Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.

Erras verò, & largiter, Staurophila, inquitbat Christus, si consolationem à CRUCE & tribulatione abesse putas: necdum didicisti

Rom. 15,4 *per patientiam & consolationem scripturarum spem habere? Non legisti quòd Apostolus*

Hebr. 12,5. Hebræis scribat: Obliti estis consolationis quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Filii mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Itane omnem? aiebat

August. in Staurophila: Omnem omnino, respondebat
Psalm. 31. Christus, & nullus exceptus, nullus sine flagello.

Conc. 2. lo. Vis audire quem omnem? etiam ego unicus sine peccato, non tamen sine flagello. Quòd si

Idem in Pf. 122. unicum sine peccato flagellauit, & pro omnibus tradidit eum; quomodo debent flagellari qui

Idem in Pfal. 88. fecerunt quare flagellentur? Sit itaque manus

Conc. 2. in med. paterna super te; & si filia bona es, noli repellere disciplinam Patris tui. Det disciplinam, dum

dum non auferat misericordiam. Cadat contumacem, dum tamen reddat hereditatem. Tu si promissa Patris benè agnouisti, non timeas flagellari, sed exheredari. Peccatrix filia dedignabitur flagellari, cum sine peccato videat unicum flagellatum? Atqui nonne Pater cælestis in monte hoc, me elogio decorauit: *Hic est* Math. 17,
Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui? 5. Nota, DILECTVS, Staurophila, & tamen flagellatus, & tamen Crucifixus; vt videas CRUCEM etiam charissimis à Deo destinari. Sed & hinc collige CRVCIS dignitatem. CRUX enim, disciplina, flagellum, tribulatio, veri characteres, & notæ sunt filiorum Dei: vt omnino spurij reputentur, qui CRVCIS sunt expertes. Adi rursus, & audi Paulum. *In disciplinâ, inquit, perseuerate. Tamquam* Hebr. 12,
filij vobis offert se Deus: quis enim filius, 7.
quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. Filij si peccent, à parentibus virgâ cæduntur, serui domo exturbantur. Flagellum ergo signum filij.

Vtinam, inquebat Staurophila, fruatur CRUCE tuâ, vt in numero filiarum tuarum merear computari! vtinam non excludar à tribulatione, ne simul ab hereditate! *Sim, quæso, de ijs qui inundationem maris quasi lac suscipiunt.* Deut. 33,
Inundatio enim maris, abundantia tri- 19.
bula-

Stephan.
Eduensis
tom. 6 Bi-
blioth. Pat.

bulationis; quæ tunc fugitur, cum dulcis reputatur. Lac nutrimentum paruulorum, tribulatio pabulum fit electorum.

August. 13.
Confess.

Sic age Staurophila, inquebat Christus, & solo deinceps amore CRUCEM feras. *Verus enim amor non sentit amaritudinem, sed dulcedinem: quia soror amoris dulcedo, sicut soror odij amaritudo. Qui amat, non laborat: omnis enim labor amantibus contrarius est. Vnde mi-*

Bernard. de
Præcept. &
dispensat.

hi seruiens in charitate illâ quæ timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, premium non requirit, & tamen plus omnibus urget. Nihil est, nihil, inquam, tam horridum tamq̃ tremendum, quod hi, qui vel morbo aut pœnis discruciantur non superent, si diuino sint amore incensi; ita vt neque ignis neque ferrum, neque inopia neque languor aliquis, neque mors neque aliud quidpiam huiusmodi graue aut molestum appareat ei, qui hunc sit erga Deum amorem consecutus. vnde &

Rom. 8,
35.

Paulus dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu

Do-

Domino nostro. Vnde verò, quærebat Staurophila, amoris hunc fomitem accendam? Cui Christus. Ex me discere licet: solus enim amor me de cælis in terram attraxit, amor in præsepio reclinauit, amor ad omnes adiegit labores. Propter nimiam charitatem quâ dilexi vos, humiliavi memetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem CRVCIS. Poteram sanè vos redimere absque illâ: nolui tamen, vt sic amorem meum patefacerem, & esset copiosa omnino redemptio. Et nunc quid superest, nisi vt amantem, & sic amantem redames?

Id verò, inquiebat Staurophila, perquam cupio: sed, quæso, quo pacto id faciam Domine? Suscipe, inquiebat Christus, CRUCEM vndecumque, & à quocumque tibi impostam, à iustis siue ab iniustis, siue à bonis siue à nequam, siue ab alienis siue à proximis, suscipe, inquam, hilari animo velut de paternâ Dei manu; nec aliud quidquam cogites, nisi hanc esse Dei voluntatem, vt CRUCEM feras, cui ex amore perlibenter velis respondere. Magnæ, inquiebat Staurophila, id fuerit perfectionis, nec adeò facile. Homines enim cum intueor me affligentes & diuexantes, idq; malâ suâ in me voluntate, vix possum concipere id eos diuino facere instinctu: vel summo isti Numini placere, vt ita me exercent.

Ioan. 18,
11.

Ad me respice, filia, aiebat Christus. Cùm tradendus essem in manus peccatorum, voluit Petrus exempto gladio velut strenuus miles Dominum suum defendere, sed illi dixi: *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Non attendi ego, amarissimum hunc calicem Iscariotis prodicione, Iudæorum accusationibus, insanis populi proclamationibus fuisse permixtum. Non latebat me, quantum absynthij, fellis & aloës, Annas, Caiphæ, Pilatus, Herodes, Scribæ & Pharisæi, pessimi pharmacopæi huic pharmaco incoxissent, sed id tantùm considerabam, hunc calicem à Patre mihi propinari, quicumque illum tandem, & quibuscumque venenis temperassent. Nec poterat esse ingratum quod à Patre, alienâ licet manu, offereretur; & ideò alacriter, *sicut mandatum dederat mihi Pater*, sic faciebam. Dulcissimus enim mihi erat *cibus, facere voluntatem Patris mei*. Hoc scilicet filiorum est, Staurophila, non metu pœnæ, non spe mercedis, sed puro amore ideò solùm CRVCEM ferre, ideò calicem potare, quia sic placitum est Patri.

Ioan. 14,
31.

Ioan. 4, 34.

Pf. 115, 4.

Respondit Staurophila: O Domine, quia tu calicem passionis bibisti, & vsque ad fundum exinanisti, & ego ancilla tua *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.*

Hoc

Hoc deinceps volo, hoc desidero, hoc totis ani-
 mi visceribus concupisco, ut in me, & de me,
 ac per me non mea sed tua fiat voluntas. Non
 cogitem quid amarum, quid dulce, quid onero-
 sum, vel leue, quid asperum vel suaue, sed cum
 impetu & desiderio feruenti, & cum anxietate
 curem perficere quæ tuæ sunt beneplacita vo-
 luntati: hoc solum mihi iucundum, hoc mihi
 sit suaue, hoc solum mihi sit leue, hoc delecta-
 bile & amabile.

Bonauent.
 Stim. diuin.
 amor. p. 3.
 c. 17.

Insiſte, inquiebat Christus, hanc semitam,
 & percurrere diligenter: plurimos enim ad
 summam perfectionem perduxit. *Quædam*
 enim vite sanctissima virgo, cuidam percun-
 ctanti quomodo ad perfectionem pertigisset,
 dixit: Omnem aduersitatem æquanimiter de
 manu Domini suscepi. Et quisquis me aliquã
 iniuriã molestiãve affecit, huic ego speciale be-
 neficium rependere curavi, quod minimè fe-
 cissem, nisi ab eo læsa fuisset. Nulli, nisi Deo,
 grauamina mea quæſta sunt: unde & euestigio
 consolationem ab eo accepi. Alia quædam ad
 similem interrogationem, non dissimiliter
 respondit: Numquam ita se doloribus &
 pressuris obrutam fuisse, quin maiores pro Dei
 amore perferre expeteret: indignam se illis ip-
 sis tam præclaris Dei donis iudicans.

Bloſ. in
 Mon. c. 10.

Bloſ. ibid.

Neque sanè in hoc aberrasse eam iudica-
 uerim, aiebat Staurophila: Nihil enim Do-
 mine,

Thomas
à Kemp. de
Imit. Chri-
sti lib. 3.
cap. 22.

mine, amatorem tuum, & cognitorem benefi-
ciorum tuorum ita latificare debet, sicut vo-
luntas tua in eo, & beneplacitum æterna dis-
positionis tuæ. Nam voluntas tua, & amor
honoris tui, omnia excedere debet; & plus
eum consolari, magisq; placere, quam omnia
beneficia data, vel danda.

